



1724.

1. Dicker, Gotts. Balthasar: De febre catarrhalis benigna.
2. Fischerus, Johanna Andreas: De scrupulis pestis syphilitica.
3. Fleischer, Dr. Frideric: De minorum restitutione
in integrum hinc consuetum majoribus prae-
ficius.
4. Homald, Hugo Franciscus, Facult. iuris licet Decanus
lector benevolo s. p. I. (ad dissertationem in ang.
Dissens Caspari Schumannii invitata)
5. Homald, Hugo Franciscus, Facult. iuris licet Decanus
lector benevolo s. p. I. (ad dissertationem in ang. Dissens
Friderici Fleischeri invitata)
6. Homald, Hugo Franciscus, Facult. iuris licet ... Decanus
s. b. s. p. I. (ad dissertationem Dr. Iacob. Schmidbaueri invitat.)

7. Harold, Hugo Fauersum, Facult. iur. docens
1. b. o. p. d. (ad Disputationem in ang. Saham Michaelis
Tentamen invitat)
8. Harold, Hugo Fauersum, Facult. iur. docens ... decanus
lectori universo s. p. d. (ad Disputationem in ang.
Gottliebi Tittelii invitat).
9. Melsobmann, F. C. Christoph. N. legum summa,
nisi arum natura et recentatio.
10. Pre, Jo. Fridericus: Theses in ang. medical, quas
en Hippocratis aphorismis XVII sec. A. de c. tabone
reconvalescentium deductas ... publicae erudi-
torum Discussioni submittit?
11. Pre, Jo. Fridericus: Theses in ang. medical, quas en
Hippocratis aphorismis V. sec. ~~IV~~ de cante dantō
perzantibus fibris canicularebus redactas ... publicae

Eruditorum Recensione intitulata?

12. Reinhardt, Th. Z. Reclam, per absum
officio portularis, leges imperii styre tranquillo-
latem publicam violante, ejusque auctoritate.

2 fasc.

13 Schumann, Ioan. Corpus: De successione conjugum
secundum statuta sive de conjugum portione fa-
miliaria generaliter considerata

14. Strecken, Con. W. et al.: De jurematio in littera
et in primis quod pro pueris mater quis
ad jurematum in littera etiam admittenda sit.

15. Strecken, Conr. W. et al.: De jureamento minore
Tonus

16. Strecken Con. W. et al.: De jure simultaneae
investiturae in Iuris Doctor-acquisitio et
conservacione

1724.

17. Herst, Dr. Philippus Fac. iuri Nicae Decanus 1. b. s.
(ad Disputationem inay. corpori Galli. Grabsi invitata)
18. Tengelt, Iuris: Iaco, quod iustum est circa prouis
nobilitum.
19. Tengelt, Iuris: Decanus ordinis Lectorum: invitata
- - ad Disputationem inay. Dr. Jakobus Henricus
Albinus invitata.
20. Tengelt, Iuris: De poenis defunctorum volunt
Tunc non adimplentium
21. Tengelt, Iuris: Faculty iuri Nicae Decanus: program-
mate - - inaugurali lectorum general. certiorum
fact. selectione cursoria et diss. inay. - - a Dr.
Samuel Christiano Hacken bestituto.

26. Tengell, Ernestus: De arbitrio circa processus.
T. Gempt

27. Tengell, Ernestus: De arbitrio circa processus.

28. Tengell, Ernestus: Dissertatione inaug., quae observa-
tiones forenses circa remedium querendam responsivas
frustras exhibet.

29. Tengell, Ernestus: De effectu iniustitiae
capitalium iuris p[ro]p[ri]etatis.

30. Tengell, Ernestus, Facult. iuridice Decans: P. C. J. p. D.
lunque . . . programmata inaug. certiorum fact
de die horum et loco . . . Dissertationis inaugorati . . .
R. Ivan. Tritonius Rose . . . praef[ect]o.

31. Tengell, Ernestus: Deco, quod iustitia est in colla-
tione circa sumtas studiorum.

32. Tengell, Ernestus, Colligii iuridici . . . Decans: et lec-
t. iuris. et diss. inaug. . . a D. Georgio Henrico Rosenbach
habentes invitati.

29. Tengell, Ernesto, Collegii iuris . . . Decimus .
. . . instat et audiendis lect. solemnem est usus
mag. . . Dr. Ioannis Capriani Ficiles.
30. Tengell, Ernesto Fridericus ? De tortura Testium
31. Teutschler, Joh. Michael ? De inficiacione
32. Trutler, Janes Phryppa ? De possessionibus, in jure suo
possessoris succumbentibus

26. 1724. 52. A
DISSERTATIO IN AVGVRALIS MÉDICA,

DE
FEBRE CATARRHA-
LI BENIGNA,
SIVE
QUOTIDIANA CONTINUA
VETERUM,

QVAM

DIVINA GRATIA PRÆSIDE,
RECTORE UNIVERSITATIS AC PRO-CANCELLARIO,
VIRO MAGNIFICO, MAXIME REVERENDO, PRÆNOBILI, AMPLIS-
SIMO ATQVE CONSULTISSIMO.

DOMINO

CHRISTOPH. IGNATIO
DE GVDENVS, J.V.D.

IN SIGNIS ECCLES. COLLEG. S. SEV. CAN. CAP. ET SCHOLAST. EMINENT. AC
CELSISS. PRINC. ELECTORIS MOGVNT. CONSIL. ECCLESIAST. EJVSDEM.

QUE PER THVRING. IN SPIRIT. SIGILLIFERO;


IN ACADEMIA GERANA PERANTIQUE,
GRATIOSO FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU.
PRO GRADU DOCTORIS
ET PRIVILEGIIS HUIC DIGNITATI COMPE-
TENTIBUS LEGITIME OBTINENDIS,
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT
AUTOR ET RESPONDENS


GODOFR. BALTHASAR DECKER,

MESERICIO-POLONUS,
Medicinae Pract. Landsbergens.

DIE XV. SEPTEMBRIS, ANNO MDCCXXIV.
IN AUDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS. HOR. CONSVER.

ERFORDIAE, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.





PROÆMIVM.



Roposueram utique mihi, loco
Dissertationis Inauguralis, the-
ma quoddam chymico - me-
dicum eligere, & quibus cir-
cumstantis ac rationibus aqua
in terram conversa inveniatur, tam ex regno
animali, (scilicet ex genesi calculi humani tam
in pulmonibus, renibus, vesicula fellea, vesica,
imo podagra) quam ex ipsa metallorum mix-
tione, Lectori benevolo ante oculos ponere,
& eo ipso per argumenta ab experientia de-
sumta demonstrare, quod aqua per terram Bec-
cheri primam & principium phlogiston Stah-
lianum in terram conversa, revera pars metal-
lorum

lorum essentialis, constitutiva & fluidificans existat: Et quod è contra principium inflammabile ex se & natura sua absolute terrea, si cum terra Beccheriana prima absque consortio aquæ misceatur, illam potius ad statum notabilis ad fluxum inhabilitatis, præcipue si abundantanter concurrat, redigere deprehendatur. Et sicut porro cum firma omnino experientia conspirat, quod nihil in universo mundo ardere possit, ubi non principium inflammabile, nec non terra cum aqua mixta, præsto sint, metalla vero imperfecte mixta utique & ardeant & comburantur, hinc istarum rerum peritis, quid de perfecte, intime, subtilissime & proportionate mixtis metallis, (ubi omnia principia constitutiva ad perfectum statum terreum deducta reperiuntur) sperandum sit, judicare lubens submitto. De cœtero me non fugit, quosdam dari Philosophos, & inter hos etiam noviorem quendam Chymicum autorem, (laudabiliter alioquin attentum observatorem) qui statuunt, quod omnia ex aqua ortum suum traxerint, & quod elementa sint inter se convertibilia &c. Sed cum hujus asserti demonstra-

strationes planæ omnino adhuc deficiant, suo loco sententia hæc relinquenda. Licet enim veritati consentaneum sit, quod aqua converti possit & soleat in terram; terra vero in fluxum aqueum, imo in statum plane inflammabilem deduci, (quanquam ex se & sua natura omni inflammationi & fluiditati resistat) contra principium inflammabile, summe mobile, ad naturam immobilem, terream, fixam, inflammationi & fluxui resistentem, utique redigi possit: Interim tamen quam longissime à conversione, transmutatione Elementorum & principiorum mutua hæc adhuc absunt: De facto nempe videmus, quod licet principia intime inter se miscentur, nihilominus unumquodque pristinam & sinceram sui ipsius, tam in separatione quam combinatione, servet natum, aqua enim per terras in terram redacta, atque terris mixta, nihilominus in hac intima sui mixtione, & fluiditatis pristinæ certum gradum, imo mobilitatis & volatilitatis sibi proprium alioquin genium, sub certis respectibus, experimenta, cum attentione facienti abundantiter demonstrabit. Sed missis hisce tan-

quam hic non spectantibus, paucis occasio exponenda, qua inductus fui, loco thematis jam memorati chymico-medici, aliud plane medicum nunc eligere. Contigit quippe circa initium præteriti mensis Augusti, me febri quadam catarrhalii benigna ex improviso corripi, eaque inter spem & metum, variis modis affligi ; & sane haud parum metuebam, ne materia peccans subtilis, putredinosa, salino sulphurea, & mixtionem & motum humorum meorum plane inverteret, hoc est me morti traderet. Divinae vero & infinitae bonitati, æterna sit laus & gloria, quod rebus meis hoc tempore quam maxime afflictis, afflictiones superaddi clementissime prohibuerit, atque vitam meam salvaverit. Et quia durante hoc morbo, propria sed dolorosa experientia, varia notatu vere digna mihi obvenerunt, hinc placuit materiam hanc de febre catarrhalii hic pervolvere, & observata reliquo discursui adjicere. De cœtero animitus precor, quo levidensis hic labor in Divini Nominis gloriam, ægrorum languentium solatium, atque artis nostræ Medicæ sacræ aliquale incrementum cedere queat.

§. I.

§. I.

Vix me continere possum, quin in transitu
quasi, de sensibilitate principii vitalis &
quidem in statu virentis sanitatis, circa fu-
turos, & interdum mirum quantum pro-
cul adhuc distantes, morbos, verbum hic in medium
proferam. Res sane inter omnes populos nota atque
trita. Mihi interim sufficiat historiam nudam verbo
allegasse.

§. II.

Sed ad rem, & quidem eâ qua fieri potest brevita-
te, præstat enim paucis multa, quam multis pauca di-
cere, atque Lectori & sibi ipsi tempus perdere. Fe-
bris ergo Catarrhalis benigna (malignam enim hic
tangere non vacat) Febris est continua, cuius au-
xilio natura humana, per motus tamen maxime pla-
cidos, materiam morbificam lymphæ in primis inni-
dulantem, subigere, corrigeret, atque per secretiones
successivas, assiduas nihilominus, intra spatum die-
rum septem, vel quatuordecim, exterminare alla-
borat.

§. III.

Materiam peccantem, quoad ipsius figuram, stru-
eturam, magnitudinem, accurate describere, atque ra-
tiones veras allegare hic velle, quare natura in expel-
lendo morbo tantopere numeros dierum septenarios
amet, ultra nostras, & forte etiam aliorum (ni affecta-
re velint) vires existit. Recordor enim moniti illius
Beccheriani in loco quodam Physicæ suæ subterraneæ

sic

sic dicentis: De omnibus rebus rationes reddere velle
(vel se posse reddere, affectare) est cum recta ratione
insanire.

§. IV.

Febris hæc licet tam hyemali, quam verno & æstivo tempore, sub diversis tamen symptomatibus compareat, interim solet ut plurimum versus æquinoctium autumnale, circa noctem cum horrore ac spasmis muscularum dorsi tensivis patientem aggredi. Horrem mox sequitur æstus, per totam in sequentem noctem & interdum etiam diutius durans. In plurimis tamen ægris, accidente hora nona, vel decima, notabiliter solet imminui. Primis tribus vel quatuor diebus æstus plerumque absque sudore deprehendit, quod tamen elapsa hac periodo in contrarium se exserit. Patientes enim quovis tempore matutino, cum magno suo solatio, post decrementum febrilis æstus lenem sudorem erumpentem sentiunt, quo etiam ipso, febris cum omnibus suis symptomatibus successive decrescit, ac tandem præterlapsò septem vel quatuordecem dierum spatio evanescit. Quodsi vero patiens per impatientes jæstigationes, refrigerationes, frigidum potum, successum sudoris impedit, nemo miratur, si morbus inde cum subsequentibus variis pessimis symptomatibus protrahatur.

§. V.

Somnum paucum, appetitum prostratum, pulsus naturali frequentiorem, vires imminutas hic adesse nemo mirabitur. Et si intempestiva, vel etiam frigida ciborum ingestio, ægro nostro placuerit, quid mi-
rum

rum, si postmodum cardialgiæ cum vehementissimis vomendi conatibus preffo pede, cum maxima & ad oculum patente virium prostratione, subsequantur. Circa vesperam morbum hunc augeri in vulgus notum. Urina ordinarie aurantii est coloris cum sedimento rosarum colorem æmulante &c. In aliquibus tamen ubi diarrhoea accessit, observare hæc non licuit, qui alvi fluxus ni excedat, morbum leniorem reddere solet.

§. VI.

In plurimis observatur dolor capitis, imo coryza & tusis, cum catarrho fauces & uvulam molestante. Nonnullos etiam angustia pectoris infestare solet. Motus catarrhales versus thoracem, collum, per diarrhoeam præsertim vehementem leniri, imminui vel interdum plane tolli, nemo in dubium vocabit. Observavi etiam quod catarrhus faucium in primo septenario vel circa initium secundi se exserens, licet post superventum diarrhoeæ copiosioris cessaverit, nihilominus cessante diarrhoea, sub schemate coryzæ non solum rursus redierit, sed etiam morbo jam profigato per aliquot hebdomas continuaverit. In quibusdam subjectis, per contagium infectis, initium morbi per dolores capitis, leniores tamen & quasi permanentes, neque diu continuantes, se exserit, qui dolores per aliquot dies circa vesperam vel noctem redunt, sed absque coryza vel tussi. Circa tertiam vero noctem, vel vesperam, non solum dolores capitis graviores, sed etiam horror cum subsequente & per noctem continuante æstu, patientem invadere solent.

B

§. VII.

§. VII.

Si originem morbi spectamus, fateri utique debemus, quod quandoque per contagium propagetur, & sane interdum ab ejusmodi subjectis, qui lecto non tentur, vel ordinario more febrem dictam experuntur. Qui vero tussi cum coryza laborat, omnino caveat, corpus hoc ipso tempore febricula quadam levi infestatum, refrigerationi exponere, vel vigiliis indulgere, utrumque enim morbum augere, & non raro febrem ordinariam catarrhalēm producere solet. Idem nonnunquam experuntur, qui corpus per motum vehementiorem calefaciunt, & subito postea refrigerant. Interim subjecta huic febri prae aliis obnoxia, habitus corporis succulentioris, quales sunt phlegmatici vel sanguineo phlegmatici, existere, & homines affectibus catarrhalibus adsuetos, facile patet.

§. VIII.

Medicationem quod spectat, omne omnino pharmacum superat ordinatum patientis, tam quoad animum quam corpus, regimen. Sed dolendum quod homines sanum sane hocce consilium affectibus suis miseris occœcati raro audiant, multo minus admittant, sed quia decipi volunt, levi more sibi persuadent, in curatione morborum potissimum & vix non totum punctum versari in applicatione remediorum therapevticorum numerosorum. Quod vero aliquando ab iis quorum interest, in hoc perquam noxio & mortali saepè errore fulciantur, ego minime contradixerim.

§. IX.

Omni ergo ratione æger noster, tranquillitati, continentiae, patientiae studeat, atque piis precibus à Deo bona hæc spiritualia petat, quo rationem sanam atque Medici consilia sana corruptio suo appetitui præferre possit. De cœtero hypocausta hyemali vel alio quovis tempore nimis concalefacta, nec non abundantiam stragulorum plumaceorum prudenter prohibeat. Nullo enim hic opus est anxio & per torturas quasi expresso copioso sudore, sed leni tantum & quasi sua sponte proveniente madore, & hic omnino subsequetur, si evitaverit inquietas jectigationes, artuum & corporis denudationes, refrigerationes, potum frigidum, præsertim illo tempore cum imminuto æstus tempus matutinum lenis sudor provenire solet. Certum enim est hac ratione periculosa symptomata non solum averti, sed etiam febrem ipsam successive decrescere, atque elapso primo vel secundo septenario plane cessare. Plurima insuper exempla, hoc ita revera se habere, confirmant, dum pauperculi & plebeji homines, medicamentis pretiosis & speciosis destituti, non solum hunc, sed longe graviores acutos morbos, feliciter superare deprehenduntur.

§. X.

Et sicut refrigerationes impatienter admissæ, omnino materiam peccantem intra corpus retinent, ac naturam, ne noxia sibi exterminare possit, infeliciter prohibit, & sic febres lentes causari solent, sic regimen nimis calidum, sive per hypocausti æstuantis &c. sive per medicamentorum stricte & in notabili gradu

B 2

dia-

diaphorericorum, sanguini insignem æstum conciliantium, usum, id fiat, patientes non raro in febres malignas petechiales, deliria, pleuritidem, aphthas, anginam, ad minimum in gravissimam cephalalgiam concidere solet.

§. XI.

Hinc sufficient remedia, quæ motus febries leniores, una cum excretione materiæ peccantis, per lenes sudores promovent. Essentia alexipharmacæ Stahliana, vel Essentia scordii cum Essentia pimpinellæ umbelliferæ albæ anatica proportione remixta, & tempore matutino ad guttas quadraginta exhibita, Deo benedicente, omnino hoc præstare poterunt. In cuius defectu, mixtura simplex itidem egregie se gerit. Cum enim satis certum sit causam hujus febris in vitio atque stasi lymphæ confistere, rationi utique consentaneum est, talia etiam remedia adhiberi debere, quæ lympham corrigant, præparent, quo natura per motus febries materiam noxiā eo melius expellere possit.

§. XII.

Ad æstum febrilem temperandum & placidam diaphoresin porro promovendam, notus pulvis ex anatica dosi nitri optime crystallisati, concharum acido citri vel tartaro saturatarum, (in defectu vero talium, etiam prodeesse possunt simplices) atque antimonii diaphoretici, ad grana viginti versus horam nonam ante- & tertiam vel quartam pomeridianam, & tandem versus noctem, exhibitus optime se geret. Postquam etiam cuilibet ad sensum communem patet, quod

quod per continuatam transpirationem atque successivum sudorem, plurimum humoris utique amittatur, hinc omnino ægro injungendum, ut per potum tepidum humorem amissum resarciat; quo diaphoresis placida eò melius etiam continuari, atque lympha viscida dilui possit.

§. XIII.

Alvi adstrictio cum plurima periculosa symptomata, nempe coma & deliria secum ferat, omni meliori modo praecavenda & tollenda. Decoctum prunorum, passularum, imo mucilago hordeacea una cum potu sufficiente maxima securitate adhiberi poterunt, etiam clysteres emollientes addito stimulo pauciori salino, vel manna aut pilulæ Stahlianæ &c. Caveat interim Medicus ne alvum irritet, diarrheam vehementiorem, & vires summopere exhaustientem, excitet, id quod mense Augusto præ aliis temporibus attendendum.

§. XIV.

Satis namque constat, quod natura maximopere hoc mense ad diarrheas, & interdum satis enormes, ac dysenteriam æmulantes, facilis atque prompta sit. Hinc æger studiose evitet potum frigidum, quam maxime vero fermentantem fæculentum, haustus majores, poma, &c. Minime interim negamus, quod diarrhoea in hac febre, licet etiam in statu eveniat, si sit moderata, absque tenesmo & torminibus vel aliis doloribus, nihil periculosi præfigiat, si tamen ad excessum inclinet, atque naturam viribus morbo debel-

B 3

lan-

Iando necessariis exhauriat, quis, peto, prudens non
de ipsius moderatione sollicitus fuerit?

§. XV.

Interim nec opiate, nec positive adstringentia,
tuto hic adhiberi possunt. Usus corticis characillæ,
si post quatuor horas, continuando donec decrescere
inceperit diarrhœa, ad grana sex vel decem, addito
etiam supra dicto pulvere nitroso, ex conchis ac anti-
monio diaphoretico constante, exhibeat, inter re-
media securiora connumerari solet. Essentia gentia-
næ rubrae & corticis characillæ, si illius una, hujus ve-
ro duæ partes, miscendo, una ad guttas triginta, quad-
raginta assumentur, etiam laudabilem usum præstat,
pro ratione tamen circumstantiarum, dosis est repe-
tenda. Suadent nonnulli in hoc casu adhibere Essentia-
tiam alexipharmacam, eique interponere modera-
tum usum pulverum nitrosorum cum crystallo monta-
na, sed quod crystallum monte concernit, an bene pu-
ra, limpidissima, & ab omni metallica adstringente
miscela libera, pleno cum fructu atque securitate ad-
hiberi hic possit, attestante hoc Beato Dno Doct. Nen-
tero, atque Dno Doctore Junckero, meam hic alle-
gare experientiam non possum. Gummi arabicum,
quia in aliis diarrhoeis optimo cum successu absque
omni adstringente vasorum, aut motuum naturæ tur-
batione adhibetur, & hic quid valeat, sine timore,
tempestive tentari potest.

§. XVI.

De cœtero rationi à priori consentaneum est,
quod usus aquarium diversarum analectico-tonico-
sto-

stomachicarum, (leniorum tamen) absque fructu in hoc casu vix esse possit, sed dolendum quod in officinis ut plurimum tam exigua in ejusmodi aquis existat vis specifica, inutilis vero phlegmatis tanta copia, ut effectus etiam vel paucus vel saepe plane nullus, inde subsequi possit. Exemplum habemus planum in spiritu vitrioli, hic enim si purus est, maxime corrosivos, intra corpus humanum assumtus, edit effectus, cum phlegmate vero copioso permixtus, longe aliter se gerit, cum notum sit, quod pro medicina plebeorum publice vendatur. Notum porro est quod maxima pars in ejusmodi vegetabilibus consistat in sterili phlegmate, minima vero in virtute specifica, arti plane inimitabili, si ergo destillatio tamdiu continuetur, donec paucissima specifica Essentia copioso phlegmate suffocetur, nimis late in accedente aqua extendarunt, quid mirum, si postmodum omnis virtus specifica maximam partem iners reddatur. Ego sane bona fide, quantum observavi, attestari possum, quod mixtura quædam aquarum destillatarum, constans ex aqua melissæ præter propter unciis quatuor, ex cerasor. nigr. dulcium, unciis tribus, flor. tiliæ, scordii, scorzonerae, veronicae aa. g. & aqua cinamomi cydoniata præter propter ziij. præ aliis medicamentis in enormi mea diarrhoea, promissimum, tutissimum, atque jucundissimum auxilium præstiterit. Sciendum tamen quod pauciori phlegmate imbuta erat hæc mixtura. Nec hoc prætermittendum, quod diarrhoeæ cessatio circa diem decimum tertium eveniebat, cum subsequente quidem alvo segniore, attamen cum euphoria.

§. XVII.

Aqua supradicta cinamoni, vero succo pomorum cydoniorum superfunditur, per aliquod tempus digeritur, ac tandem destillatur, ante usum probe agitando, misceri debet, solet enim propter suam oleositatem semper superficiem mixturæ petere. Et sciendum quod hac ratione (per fermentationem nempe) etiam aliæ in medicina, non contemnendum effetum præstantes aquæ, parari possint, & soleant; Mixturæ nominatae pro lubitu post unam atque alteram horam, cochlear unum vel duo exhausi. Interim satis certe affirmare non ausim, num penes hujus mixturæ usum, non etiam unicam dosin supra memoratæ Essentiæ, (ex cascarill. & Gentian. rubr. Tinctur. invicem mixta) adhibuerim. Quicquid vero hujus fuerit, certus omnino sum, quod unica dosis Essentiæ hujus, diarrhoeam enormem tollere minime potuisse. Fluxus alvi enim per quam frequens erat, & interdum singulis horis plus una vice compellebat, etiam ferme per sex dies jam duraverat. Excrementa nidorem referebant semi putridum olei lini odorem æmulantem, tamen absque torminibus & tenesmo quæ tamen in dysenteria vera emanere non solent.

Quod sudor lenis hac in febre maxime sit proficuus satis monuimus, sed ubi diarrœa patientem corripit, & per frequentes alvi depositiones corpus frequenter refrigeratur, vix possibile est, illum juste procedere posse, hinc patinæ illæ suppositiæ, (Bettschüslein/ die man unterschieben kan) in symptomate dicto, eximiām præstabunt opem.

Venesectionem nec utilem nec necessariam hic esse, experientia satis docet. Circa expectorantia notandum, ne plus justo adhibeantur, quia facile solent majorem quam putamus, ad pectus affluxum invitare, atque pulmones in periculum ulcerationis conjicer. Interim si tussis urget, poterunt cum modestia adhiberi: Sperm. cet. liquirit. coct. syrup. tussilag. oleum recens amygdal. dulc. &c. aquam hyssopi etiam recordor egregio cum successu me exhibuisse. Vitanda etiam sunt absorbentia terrea crassiora e. g. cornu cervi ustum, terræ sic dictæ sigillatæ, vel potius martiales adstringentes. Quia enim constat quod motus febris non suffocandus, sed pro eliminatione materiæ morbificæ juste conservandus sit, hinc per se patet, quod adstringentia nihil certius hic efficient, quam ægrum ad febrem lentam & hebetatem dispone-re. Et quanquam absorbentia si justa ratione exhibe-antur, hic omnino utilia esse possint, præsertim acido citri saturata & subtilata; attamen tam ipsorum quam refrigerantium nimius usus vel abusus evitandus ve-nit, ne motus febribles, salutari plane à naturâ fine ex-citat, perverse supprimantur.

Caute etiam se gerunt infecti illi, qui si cephalalgiam vel etiam horrorem quendam levem sentiant & reminiscantur se cum quodam hoc morbo laborante patiente conversatos esse, in aerem liberum prodire omnino abstinent & potius lecto se includunt, trans-pirationem promovent, lenem sudorem, madorem

expectant, pro quo scopo supra nominatus pulvis ex
 ♂, conch satur. Antimon. diaph. si ter per diem ad grana
 xx assumatur, inservire potest. Ditores loco con-
 charum, cum reliquo dicti pulveris margaritas orient.
 ppter, absque saturatione, usurpare possunt: Mini-
 me enim illorum sententia probanda, qui niargarita-
 rum substantiam non aliam quam concharum esse,
 evincere satagunt. Qui tussim & coryza adstrin-
 gentibus tradant, & sic naturae vias suas pro emu-
 lctoris inservientes præcludunt, eidem periculo, febrem
 incurrere, subjacent. Quædam subjecta tussis circa
 vespertinum tempus magno impetu aggreditur, adeo
 ut etiam de aliquali inflammatione imminentे metu-
 endum sit, huic scopo emulsio è semine cardui maria,
 si versus illum aggressum adhibetur, (quæ reliquo me-
 dicamentorum usui tamen etiam interponi potest)
 egregie conditare solet. Interim maxima & hujus
 symptomatis cautela in hoc sita est, ut patiens omnem
 artuum denudationem, inquietam iægitationem, evi-
 tet (quod etiam in angoribus hujus morbi intercur-
 renibus valde comprehendendum.) De calidioribus
 hypocaustis, stragulis, medicamentis, (quibus succina-
 ta & lignorum essentias omniō jungere possumus)
 quæ omnino ejusmodi angustias parere solent, supra
 monuimus, pro somno conciliando, symptomatibus
 sedandis, opiate nil boni conferunt, hinc evitanda,
 motus febriles enim necessarios imminuunt, humo-
 res tenaciores reddunt. Devicto tandem morbo, aer
 præsertim frigidus per unam vel alteram hebdomadam
 evitetur. Sudores versus tempus matutinum sponte
 quasi

quasi prodeentes, per jecitigationes ne reprimantur, nec etiam per intempestivum calorem augeantur. Et si durante morbo æger diarrhoea afflictus fuerit, per aliquot adhuc hebdomadarum spatium, à pomis &c. abstineat necesse est, facile enim solet recurrere. Stomachum etiam nimis quam decet cibis onerare caveat, & interdum horulam unam vel mediam ante cibandum, de mixtura supra laudata ex Essentia chacarill. & gentian. rubr. constante pro roborando stomacho & reliquis visceribus guttas quadraginta circiter assumat (si diarrhoea laboravit.) Aliquando etiam supra nominatus pulvis ex nitro, conch. antim. tempore matutino in usum trahi potest, de cætero à vigiliis abstineat, somno indulget, sic vires amissæ redibunt, & paterna hæc castigatio ab ægro pérpeſſa, in posterum monstrabit ea evitare, quæ morbos pariunt. Tandem Divinam misericordiam supplices veneramur, ut exiguum hocce nostrum specimen ira beare velit, quo sub salutari applicatione, miseriæ proximi consulatur, atque Nomen Æterni Adjutoris in secula seculorum humilima laude deprædicetur.

F I N I S.

C O R O L L A R I A.

I.

NEglecta vera morborum historia, & falsa & manca hinc oritur doctrina pathologica.

C 2

II. An-

Antequam Medicus rationalis speculetur, quid
in oeconomia corporis humani fieri possit, omnino de
iis quæ actu fiunt, prius instructus sit, necesse est.

III.

Materia peccans cum motibus naturæ peccanti-
bus, frequentius quam forte creditur, in praxi quo-
tidiana confunditur.

IV.

Cum plures dentur morbi tam acuti quam chro-
nici, qui pro fundamento materiam quandam peccan-
tem contagiosam, lymphaticis humoribus potissimum
innidulantem, habent, hinc prudens quilibet utique
differentiam specificam talis materiae admittat neces-
se est.

V.

In morbis malignis particulas contagiosas, subti-
lissimo nudo halitu per aerem dispersas, homines infice-
re, satis constat, hinc quid de earum figura atque tex-
tura, adhibitis etiam optimis instrumentis atque re-
quisitis, innoscere possit, liquido patet.

VI.

Particulae individuae, compositæ indolis, tantæ
sunt subtilitatis, ut omnes sensus fugiant, tanto magis
mixtae atque simplices.

Erfurt, Diss., 1724

X 2386980

ULB Halle


007 017 499

3



VD 18

Farbkarte #13



26. 1724. 52. 1
TATIO IN AVGURALIS MEDICA,
DE
E CATARRHA-
LI BENIGNA,
SIVE
DIANA CONTINUA
VETERUM,
QVAM
INA GRATIA PRÆSIDE,
UNIVERSITATIS AC PRO-CANCELLARIO,
MAXIME REVERENDO, PRÆNOBILI, AMPLIS-
IMO ATQUE CONSULTISSIMO,
DOMINO
STOPH. IGNATIO
GVDENVS, J.V.D.
COLLEG. S. SEV. CAN. CAP. ET SCHOLAST. EMINENT. AC
ECTORIS MOGVNT. CONSIL. ECCLESIAST. EJVSDEM.
PER THVRING. IN SPIRIT. SIGILLIFERO;
EMIA GERANA PERANTIQUA,
ACULTATIS MEDICÆ CONSENSU.
GRADU DOCTORIS
GIIS HUIC DIGNITATI COMPE-
IBUS LEGITIME OBTINENDIS,
UDITORUM EXAMINI SUBMITTIT
AUTOR ET RESPONDENS
BALTHASAR DECKER,
MESERICIO-POLONUS,
Medicinae Pract. Landsbergens.
SEPTEMBRIS, ANNO MDCCXXIV.
AJORI COLLEGII MAJORIS. HOR. CONSVET.
Æ, Typis GROSCHIA NIS, Acad. Typogr.